

extra casus specialiter concessos super jure communi dispensare nequeat, cap. 13 de temp. Ordinat. Interim vero quod ad Pontificis privilegia attinet, animadvertisendum est, num privilegium sit reale an personale, illud enim singulis praediis possessoribus prodest, hoc autem praediis in aliam personam translatis penitus exspirat. Praeterea privilegium ita interpretandum est, ut minus quo fieri possit, Ecclesiae Parochiales graventur, et « ubi per hujusmodi concessiones Decimarum parochiales Ecclesias adeo gravari contingat, quod earum rectores de ipsarum redditibus congrue sustentari, et commode jura Episcopalia exhibere non possunt, provideatur per locorum Ordinarios, et ordinetur taliter quod eisdem rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus quod exinde competentem sustentationem habere, et Episcopalia jura solvere valeant, aliaque onera debita supportare » cap. 2 de Decimis in 6°.

Praescriptione etiam comparatur immunitas a solvendis Decimis, cap. 4 de Praescript. Et quidem contra Ecclesiam Parochiale, quae, ut aiunt, fundatam in jure communi intentionem habet, praescriptione quadraginta annorum cum titulo, et sine titulo praescriptione temporis, quod hominum memoriam supereret, argum. cap. 1 de Praescript. in 6°. Contra Ecclesias alias, veluti Monasteria, Capitula quibus Parochia non incumbit, praescriptione ordinaria, hoc est decem annorum inter praesentes et viginti inter absentes; sine titulo autem praescriptione quadraginta annorum, cap. 4 et 6 de Praescript. Sed aliqui Doctores, nulla facta inter Parochiales, aliasque Ecclesias distinctione, universim docent, obligacionem Decimarum, nisi praescriptione quadraginta annorum cum titulo, vel immemorabili sine titulo non extingui.

Item consuetudine perimitur obligatio solvendi Decimas, quae a praescriptione in eo differt, quod praescriptio pecularibus personis, consuetudo integrae Communitati faveat, et tacita vel praesumpta legislatoris voluntate nitatur. Sic perso-

nales Decimae et mixtae fere ubique in desuetudinem abierunt, praediales etiam in multis locis, praesertim ex eo tempore, quo Ecclesiis Parochialibus alii redditus congrui assignati sunt. Hinc generales Canones vim amplius non habent, ubi contraria consuetudo legitime inducta est, atque adeo aetate nostra secundum diversam locorum consuetudinem pene omnis quaestio Decimarum dirimenda est. Duo tamen optime notanda sunt cum Francisco Monacello in suo Formulario leg. pratico part. 3 tit. 4 formula 28. « Primo, inquit, est notandum, quod si agatur de exemptione personae particularis, sive Clerici, sive laici, decima prescribitur per 40 annos cum bona fide, et titulo saltem colorato, vel per immemorabilem etiam sine titulo; si vero agatur de exemptione totius Communitatis, licet nonnulli voluerint, quod si populus, sive Communitas fuerit in possessione immunitatis non solvendi decimas per 40 annos bona fide prescribat absque alio titulo, verior tamen opinio est, quod per cursum dicti temporis non possint abrogare legem Decimarum absque titulo, vel sine immemorabili, ut advertit Pirhing in Jus Canon. lib. 3 tit. 50 n. 431. Si tandem agatur inter duas Ecclesias Parochiales, ad inducendam consuetudinem sufficit decursus decennii. Notandum secundo, quod lex Decimarum per praescriptionem aut consuetudinem nunquam abrogari potest, si ministris Ecclesiae desit aliunde congrua et necessaria sustentatio, quia tunc jus naturale et divinum, quod abrogari, nec prescribi potest, jubet ut decima solvatur, veluti distinguendo probat Barbosa de offic. Parochi cap. 18 § 3. »

Denique conventione, seu pactis conventis obligatio Decimarum extinguitur. Conventionis nomine non gratuitam remissionem intelligimus, quae sine Pontificis auctoritate, sive privilegio consistere nequit, sed transactionem, permutationem, aliudve pactum onerosum quo Ecclesia quodammodo compensetur. Jam vero si pactum inter Ecclesias ineatur, consensus Episcopi satis est, cap. 2 de Transact. ubi Alexan-

134 CAP. I. DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

der III: « Statuimus, inquit, ut si super decimis inter vos, et aliquam personam ecclesiasticam de assensu Episcopi sui compositio tacta fuerit, rata et inconcussa persistat. » At si Ecclesiam inter et laicum pactum conventum sit, auctoritate Pontificis opus est. « Super quibusdam decimis mediante Albanensi Episcopo, tunc Apostolicae Sedis Legato, amicabilis compositio intervenit, expresse adjecto quod quantocius eam auctoritate Apostolica confirmari contigeret, statim deberet executioni mandari. » Ita Honorius III, illustri Regi, Baronibus et militibus, aliisque hominibus Cypri, cap. 8 de Confirmat. util. vel inutile: « Quare cum transactio super decimis in eo textu facta esset inter personam ecclesiasticam et laicos, non vero inter ecclesiasticas personas ex utraque parte, ideo non sufficit auctoritas Episcopi, sed Pontificis licentia desideratur, quod recte notat Gonzalez in cap. 2 de Transact.

§ 77.

DE DECIMIS INFEUDATIS.

Quibus modis immunitas solvendi Decimas obtinetur, eisdem etiam jus decimandi comparatur. Plures perfecto Ecclesiae et Monasteria privilegiis aut praescriptione, aut consuetudine, aut pactis jus percipiendi decimas consequuta sunt. Verumtamen laici ab Ecclesiis in eo discrepant, quod etsi recensisit modis a solutione decimarum eximi possint, cum eo pacto non jus spirituale acquirant, sed tantum solutionis onere leventur; jus tamen exigendi decimas sibi comparare non possunt, propterea quod jus illud spirituale sit: pendet enim ab officio spirituali, vi cuius Decimae percipiuntur. Hinc laici « decimas detinere non possunt, et sic eas nulla ratione valent praescribere, ut ait textus in cap. 7 de Praescript. Unde consequitur, ut privilegium Pontificis, quo uno queunt laici potiri decimis, non jus directum et spirituale, sed solam uti-

§ LXXVII. DE DECIMIS INFEUDATIS.

135

litatem et commodum decimarum a titulo spirituali penitus separatum conferat, atque adeo decimae mere laicales evadant. Nihilominus mediis saeculis, sicut plura bona ecclesiastica, ita etiam decimae in laicos translatae sunt jure feudi, ut istae proinde ceu bona patrimonialia et privata in commercio essent, et in haeredes transirent. Id primo factum est a Summis Principibus, qui decimas in feudum et praemium laborum militibus distribuerunt, id aequum rati, quod milites etiam pro Ecclesiis pugnavissent. Item nonnulli Episcopi militibus jure feudi decimas dederunt, ut eos sibi pro Ecclesiis defensione obstringerent, quin aliquorum Episcoporum eo pervenit augendi, ditandique suos cupiditas, ut familiares et consanguineos suos hujusmodi largitionibus locupletarent. Qua de re graviter conqueritur S. Gregorius VII can. 3 caus. 16 quaest. 7. Laici quoque multi manus in decimas injecerunt, et praesertim viri nobiles, qui capellas quasdam, seu Ecclesias in suis castris ruri sitis aedificabant, atque decimas ex fundis conterminis sibi vindicabant, Parochis vel invitatis, vel conniventibus. Hanc decimarum occupationem aegre admodum Ecclesia tulit, sed tamen passa est, eo quod cum nobilibus et potentibus certandum erat, quae res difficultatis et periculi plena videbatur. Sed tandem Concilium Lateranense III prohibuit « ne laici decimas cum animarum periculo detinentes in alios laicos possint aliquo modo transferre; si quis vero receperit et non reddiderit, christiana sepultura privetur » cap. 19 de Decimis. Quem Canonem summa ferme consensione sic Interpretes explicarunt, ut in eo novas decimarum acquisitiones vetitas esse affirmarent, sed permissas vel toleratas decimas, quibus antea laici fruebantur. Huic sententiae favere videtur cap. 25 de Decimis, in quo Innocentius III decimas in feudum concessas memorat, nec tamen improbat, et cap. 2 de Decimis in 6º ubi Alexander IV videotur significare decimas jure possideri, quas laici ante Concilium Lateranense III in feudum perpetuum obtinuerint. Ve-

136 CAP. I. DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

runtamen concessiones omnes decimarum post eam Synodus factae sive in feudum, sive in emphyteusim, itemque venditiones, permutationes, aliive contractus, per quos dominium utile decimarum in laicos transferatur, sine expressa Apostolicae Sedis auctoritate irriti et nulli omnino sunt.

§ 78.

DE BONIS ECCLESIAE STABILIBUS.

Praeter oblationes et decimas praediis quoque aliisque bonis stabilibus Ecclesia potita est. Quousque civilis potestas Christianam Religionem persecuta est, Ecclesiae bona fuerunt plerumque res mobiles ex fidelium spontaneis largitionibus comparatae. Profecto res immobiles persecutione saeviente perpetuis direptionibus patuissent, nam coelari non poterant, aut alio asportari. Atqui tamen Ecclesia per illud temporis bonis stabilibus non penitus caruit, quod ex Edicto Constantini et Licinii anno 313 manifestum est, ubi inter alia sic decernitur : « Omnia quae ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus, aut possessio sit, sive agri, sive horti, sive quaecumque alia, restitui jubemus. » Sed postquam res Christianorum florere coeperunt, ex ipsis Imperatorum largitionibus et latis legibus, Ecclesia fundos magna copia acquisivit. Namque tempa Gentilium, eorumque redditus, necnon convicula haereticorum, et praedia ad eadem spectantia ex Imperatorum liberalitate Catholicae Ecclesiae addicta fuerunt, uti compertum est ex L. 20 Cod. Theod. de Pagorum sacrif. et Temp. et L. 52 de Haereticis. Item Imperatores liberum cuique permiserunt arbitrium, vel testamentaria successione, vel actibus inter vivos quocumque vellet in Ecclesiam transferendi, L. 4 et L. 19 Cod. de SS. Ecclesiis, et passim eod. titulo.

His igitur, aliisque legitimis titulis paulatim crevit Eccle-

§ LXXIX. DE JURE ACQUIRENDI BONA STABILIA. 137

siae patrimonium, eique magna praediorum bonorumque copia accessit per haereditates et donationes Clericorum et Monachorum, tum quia ex L. 20 Cod. de Episcopis, si Clerici vel Monachi intestati nullis relictis haeredibus legitimis decessissent, eorum bona Ecclesiae, vel Monasterio cui addicti erant, adscribebantur, tum quia ipsorum plerique dum se altari vel monasterio dedicarent, bona sua aut eorum partem in Ecclesias et Monasteria transferebant, tum demum per haereditates, aliasve res quae Monachis obveniebant, quum omne id quod acquirit Monachus, acquirat Monasterio. Sed Ecclesiae acquisitiones ubiores factae sunt ex utentium parcimonia et provida administratione, ac potissimum ex laboriosa soli cultura maximum incrementum acceperunt. Quot enim horridae solitudines, et quondam ferarum latibula in amoena diversoria, quot spineta in hortos, quot fundi squalentes in agros et prata, quot deserta loca et inaccessa in praediola belle aedificata et fertilia conversa sunt, postquam ea Clerici, et praesertim Monachi industria et labore suo excollerunt! Qua in re praecipuam laudem merentur Benedictini.

§ 79.

DE JURE ACQUIRENDI BONA STABILIA.

Hoc loco instituitur quaestio : Quo nempe jure bona temporalia, et praesertim praedia, resque immobiles Ecclesia acquirat, et possideat? Jure ne civili, an alio jure humano, vel divino? Sed nisi me valde amem, propositae quaestioni nitide solideque responderi potest. In primis itaque affirmo Ecclesiae jus esse acquirendi, possidendique bona stabilia ex jure naturali. Omnis profecto societas, cui sunt onera ferenda et sumptus faciendi, habet jus ad bona et redditus temporales, sine quibus eadem onera sustineri nequeunt. Jam vero in societate christiana exstruenda sunt templa et altaria, compa-

138 CAP. I. DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

randa ornamenta et vasa sacra, aliave ad divinum cultum peragendum, alendi sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri qui Ecclesiae serviunt, Clerici in litteris et bonis moribus insti-
tuendi, curandi pauperes et infirmi, multa denique impen-
denda quae communem Ecclesiae utilitatem spectant. Qui
autem fieri haec possunt sine aedibus, sine censu, sine copia
rerum? Habet igitur Ecclesia jus acquirendi, possidendique
temporalia bona, quibus communia onera perferat, quemad-
modum civili societati jus est exigendi praestationes et tri-
buta, vel etiam bona stabilia et fructifera possidendi, quibus
publicae necessitati et utilitati prospiciat.

His positis, secundo loco affirmo, illud jus ab ipso quoque
divino jure seu ex potestate divinitus Ecclesiae tradita profi-
cisci. Enimvero, saevientibus priorum saeculorum persecuti-
onibus, quanquam Principes vi et legibus obstarent, quo-
minus Ecclesia seu Collegium illicitum temporalibus bonis
potiretur, ipsam tamen domos, agros, aliaque cum mobilia,
tum stabilia bona adeptam esse et possedit ex Constantini
Edicto, quod supra protulimus, compertum exploratumque
est. Huc vero praecipue facit illud S. Pauli I^a ad Corinth.
cap. 9: « Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae
de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari
participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium an-
nuntiant, de Evangelio vivere. »

§ 80.

DE LEGE AMORTIZATIONIS

Ex his praemissis illud plane consequitur, quod saltem ob
defectum jurisdictionis invalida sit lex amortizationis, quam
etiam *manuum mortuarum* vocant, hoc est Principium Edic-
tum, quo generatim statuitur ne res immobiles in Ecclesiis,
seu alia loca pia sive inter vivos, sive in ultimis voluntatibus

§ LXXXI. DE ORIG. ET NATURA BENEFICIORUM. 139

sine consensu civilis potestatis transferantur. Quae quantaque
adversus eam legem Paulus V, aliquae Pontifices gesserint,
locuples testis historia est. De hac lege multa a nobis dicta
sunt in Jure publ. Ecclesiast. § 69.

CAPUT II.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

§ 81.

DE ORIGINE ET NATURA BENEFICIORUM.

Hactenus bona ecclesiastica universim consideravimus :
nunc de Beneficiis Ecclesiasticis, quae sunt veluti quaedam
bonorum ipsorum portiones spirituali officio adnexae, dicen-
dum est. Siquidem Beneficii nomine intelligimus « Jus perpe-
tuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis
officii auctoritate Ecclesiastica constitutum. » Theologis vero
Beneficium Ecclesiasticum est « Jus obeundi officii spiritualis
auctoritate ecclesiastica constituti, cui jus percipiendi fructus
perpetuo adnexum est; » idque ob eam causam, quod spirituale
officium in Beneficio praecipuum sit, jus autem percipiendi
fructus omnino secundarium et sacro ministerio adnexum.
Canonistae sumpserunt definitionem suam ex trita juris do-
ctrina, quod « beneficium datur propter officium » unde si-
gnificatur nomine beneficii non ipsum officium intelligi, sed
jus percipiendorum fructuum quod datur propter officium.
Caeterum utram definitionem eligas, non multum interest,
quandoquidem ipsi Canonistae praecipuam causam beneficii,
ejusque naturam in sacro ministerio constituunt.

Sic accepta beneficia primis Ecclesiae saeculis ignota fue-
runt, nam bona et redditus ecclesiastici in communi admini-